

**Laudātiō Borysthenis: explicātiō**

Salvē, magne Pater, magnārum dīves aquārum,  
 ut cūnctōs opibus vincis, sīc laudibus omnēs  
 exsuperāre potes. Quae tam spatiōsa fluentī  
 est mōlēs? Ultrā tēlī disiūncta volantis  
 lītora sunt iactum, fūsa est speciemque referre  
 aequoris et Pontī fierī Thetis aemula gaudet.

5

Salvē, magne Pater, magnārum dīves aquārum,

Poēta salūtat magnum Patrem, quī est dīves (pecūniōsus) magnārum aquārum, ergō, quī  
 multam aquam habet. Poēta salūtat magnum flūmen.

ut cūnctōs opibus vincis, sīc laudibus omnēs  
 exsuperāre potes.

Sicut omnēs fluvīōs dīvitiīs antecēdis, eōdem modō eōs laudibus vincere potes. Breviter:  
 tū plūrēs aquās habēs et ergō plūs laudāberis.

Quae tam spatiōsa fluentī  
 est mōlēs?

Quam magnum spatium flūmen habet! Quam lātum est flūmen!

Ultrā tēlī disiūncta volantis  
 lītora sunt iactum,

Ultrā tēlī volantis iactum lītora disiūncta sunt. Rīpae plūs disiūnctae sunt, spatium inter  
 rīpās lātius est quam sagitta vel pīlum iacī potest.

fūsa est speciemque referre  
 aequoris et Pontī fierī Thetis aemula gaudet.

Thetis (antīqua dea maris) in tē fūsa esse vidētur et ea gaudet mare imitāre, et gaudet  
 cum Pontō certāre.

Aut quae - nam ista furit rapidī violentia flūctūs -  
 annōsās quercūs rādīcibus abstrahit altīs;  
 Quīn etiam excelsī vehemēns ingentia montis  
 membra rapit patiturque nihil dūrāre, quod obstat, 10  
 cursibus horrisonīs; tractumque exōsus eundem  
 saepe locum mūtāt sprētāsque relinquit arēnās.

Aut quae - nam ista furit rapidī violentia flūctūs -  
 annōsās quercūs rādīcibus abstrahit altīs;

Nam violentia tua - id est vīs tua - violentia rapidī vel celeris flūminis sē ferōciter agit  
 et quercūs multōrum annōrum, veterēs quercūs ē terrā trahit.

Quīn etiam excelsī vehemēns ingentia montis  
 membra rapit patiturque nihil dūrāre, quod obstat,  
 cursibus horrisonīs;

*Etiam ferōx partes altōrum montium rapit. Nihil obstāns dūrāre, manēre patitur et cursūs eius horrendum sonānt.*

tractumque\_exōsus eundem  
saepe locum mūtāt sprētāsque relinquit arēnās.  
*exōsus vel odiī plēnus eundem tractum, eundem cursum saepe locum mūtāt, loca arēnae plēna relinquit, loca arēnā implet.*

Praetereō pūrīs nitidus quod fulgeat undīs,  
quod pōtus faciat sitientī dulce palātō  
lībāmen crūdōsque cibōs fervōre subāctōs  
molliat exiguō, fundō quod flāvus in īmō  
clāreat et fallāx mentītum venditet aurum. 15

Praetereō pūrīs nitidus quod fulgeat undīs,  
*Nihil dīcō dē clāritāte undārum, dē pūrīs undīs fulgentibus,*

quod pōtus faciat sitientī dulce palātō  
lībāmen  
*Nihil dīcō dē aquā dulcī, praetereō quod aqua dulcis sit hominī quī sitiāt, sicut lībāmen, id est vīnum quod deīs sacrificātur.*

crūdōsque cibōs fervōre subāctōs  
molliat exiguō,  
*Praetereō quod aqua etiam paulum fervēns cibōs, quī in eā mersī sint, molliat. Aqua cibōs faciliter mollit.*

fundō quod flāvus in īmō  
clāreat et fallāx mentītum venditet aurum.  
*quod in īmō, in parte inferiōre flāva arēna ut aurum fulget. Sed nōn verum est aurum: flūmen nōs fallit et falsum aurum vendere temptat, mentītus est aurum esse.*

Quis satis istārum mīrārī possit amoenōs  
rīpārum tractūs, ut lūcet utrinque decōra  
Nātūrae faciēs! Roseum Tītānis ad ortum  
pinguia prāta virent pecorīque\_alimenta ministrant;  
Occāsum versus montāna cacūmina surgunt,  
innumerās ubi nūtrit apēs dēnsissima silva. 20

Quis satis istārum mīrārī possit amoenōs  
rīpārum tractūs,  
*Quis amoena rīpārum spatia, quis pulchrās rīpās satis admīrārī possit*

ut lūcet utrinque decōra  
Nātūrae faciēs!  
*cum decōra, pulchra, venusta Nātūrae faciēs ab utrāque parte lūcet, lūcem dat, splendet.*

Roseum Tītānis ad ortum

pinguia prāta virent pecorīque alimenta ministrant;

In parte caelī ubi Sōl (Tītān) oritur et ortum habet colōrem roseum, prāta pinguia in quibus multa herba inest, ea prāta viridem colōrem habent et pecora alunt, cibum dant ovibus.

Occāsum versus montāna cacūmina surgunt,  
innumerās ubi nūtrit apēs dēnsissima silva.

In parte caelī ubi Sōl occidit, in occidentī parte, montēs altī surgunt - cacūmen est summa pars montis - in hīs montibus silva dēnsissima est - quasi nullum spatium interest inter arboribus arbustisque - silva, quae cibum dat apibus innumerābilēs.

Et bene maiōrēs dīxēre Borysthenis amnem  
iam mellis plēnōs, iam lactis volvere flūctūs. 25  
Quid memorem laetīs tot rūra, tot oppida rīpīs,  
tot positās urbēs quae tot tibi tantaque vītae  
mūnera et ingentem fluviōrum maximē partem  
acceptam referunt?

Et bene maiōrēs dīxēre Borysthenis amnem  
iam mellis plēnōs, iam lactis volvere flūctūs.

Maiōrēs (quī ante nōs vivēbant) bene dīxērunt Borysthenis flūctūs mellis et lactis plēnōs esse, flūctūs mellis et lactis plēnōs volvere, id est vertēns movēre. Borysthenēs est magnus fluvius quī in Ucrainā fluit, nunc Danapris, Dnipro, Dniepr appellātur

Quid memorem laetīs tot rūra, tot oppida rīpīs,  
tot positās urbēs quae tot tibi tantaque vītae  
mūnera et ingentem fluviōrum maximē partem  
acceptam referunt?

Cūr cōgitō dē, cūr memoriā repetō tot rūra, tot oppida, tot urbēs in laetīs rīpīs positās?  
Quae omnēs tot et tanta vītae mūnera tibi referunt, quae testēs sunt multōrum tuōrum dōnōrum. Et quae narrant dē tot fluviīs ā tē acceptīs

Et, quae suprēma tuārum  
sunt laudum monumenta, tibī tot comoda dēbet 30  
Urbs haec ipsa, decus patriae, māterque potentīs  
Imperiī. Illīus tū moenia perluis ampla  
exhilarāsque plagam, sōlis quae spectat ad ortum.

Et, quae suprēma tuārum  
sunt laudum monumenta, tibī tot comoda dēbet  
Urbs haec ipsa, decus patriae, māterque potentīs  
Imperiī.

Et, Urbs haec ipsa, ea est maximum monumentum tuae glōriae; ea tibī tot comoda dēbet, ea ā tē tam multa dōna accēpit; haec Urbs est decus, ōrnāmentum patriae et māter potentīs Imperiī. (Haec Urbs Kiiovia est vel Kyiv)

Illīus tū moenia perluis ampla  
exhilarāsque plagam, sōlis quae spectat ad ortum.

Tū magna et lāta illius moenia circumfluis, dēlectās campum eius, quod ad sōlis ortum spectat.

Quid quod comportās tantās ad litora mercēs,  
lignōrum lapidumque struem calcemque tenācem 35  
māteriam templis et magnīs aedibus aptam.

Quid quod comportās tantās ad litora mercēs,  
lignōrum lapidumque struem calcemque tenācem  
māteriam templis et magnīs aedibus aptam.

Quid interest tē portāre tēcum tantās mercēs ad litora, ad rīpās, tē portāre lignōrum lapidumque struem, cumulum (magnam cōpiam in altitūdinem collātam) calcemque tenācem (calx, calcis = genus lapidis albī; tenāx, -ācis = quī tenēre potest, dūrus), quae māteria templis et magnīs aedibus aptam, quae convenit ad aedificanda magna aedificia

Adde, quod īnstrūctās numerōsō mīlite nāvēs  
expediās, ipsīque minās gelibusque timōrem  
incutiās Pontō, Patriam sed fortior omnī  
mūrō dēfendās et dīrum fīnibus hostem 40  
exclūdās aditumque tuī formīdine claudās.

Adde, quod īnstrūctās numerōsō mīlite nāvēs  
expediās, ipsīque minās gelibusque timōrem  
incutiās Pontō,

Adde, quod expediās, parās ad bellum, ēmittis nāvēs in quibus multī mīlitēs sunt, et ipsī Pontō minās incutiās, minās īnfers, ergō ipsī Pontō mināris et incutiās Pontō terrōrem, ergō terrōrem affers, terrēs et id facis gelibus (gelū est frīgus tam frīgidum ut aquam dūram fiat)

Patriam sed fortior omnī  
mūrō dēfendās et dīrum fīnibus hostem  
exclūdās aditumque tuī formīdine claudās.

Sed Patriam fortior quam omnēs mūrī dēfendās et dīrum, horrendum hostem ē fīnibus exclūdās, patriam nostram hostibus claudās. Et patriae aditum hostī terrōre tuō claudās.

*Finis carminis est.*